

*De cultu idolatrico inter gentiles a diabolo
ad speciem veri Dei cultus instituto*

II h
616

FESTUM NATIVITATIS CHRISTI

PIE CELEBRANDUM

INDICIT

ET

AD ORATIONEM SACRAM

IPSA FERIA FESTI PRIMA CIRCA HOR. XII.

IN TEMPLO ILL. AUGUSTEI

BENIGNE AUDIENDAM

PER ILLUSTRÉS AULÆ SERENISSIMÆ

MINISTROS UTRIVSQUE REIPUBL. PROCERES ET CI-

VITATIS HUIUS AMPLISSIMÆ LITERATOS

UNA CUM ILL. AUGUSTEI

CIVIBUS

OBSERVANTISSIME HUMANISSIMÆQUE

INVITAT

M. CHRISTIANUS REINECCIUS, SS. TH. B.

CONSIL. SAXO - WEISSENFELS. ILL. AUGUSTEI RE-

CTOR ET P. P.





Enisse Filium DEI in hunc mundum ac manifesta-
tum esse, ut opera Diaboli destruat, edocemur
verbis Apostoli Johannis 1. Joh. 3. 8. *Ἔτι τῶν*
ἰφθαλμῶν οὗτος τῶ Θεοῦ, ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τῶ διαβόλου *ad hoc*
manifestatus est Filius DEI, ut dissolvat opera Dia-
boli. Filii DEI opera quæque ex Deo sunt, op-
ponuntur a Johanne h. l. operibus Diaboli de-
struendis. DEI opera, cum creavit hoc universum, omnia sancta
& bona fuerunt, ipseque Diabolus & angeli ejus ante eorum
ἀποστασία boni creati sunt & sancti fuerunt, sed sua culpa mali facti
non servarant *ἐαυτῶν ἀρχὴν* *primam suam originem*, ut legitur in ep. Ju-
dæ v. 6. Ita Diabolus *ἀπὸ ἀρχῆς* peccavit 1. Joh. 3. 8., & *ἀνθρώποις*
ἀπὸ ἀρχῆς dicitur Joh. 8. 41., dum primos parentes ad peccandum
induxit Gen. 3. 4. 5. & opus suum habet in filiis incredulitatis, ut il-
los exitio tradat Eph. 2. 2. Certe & Pater mendaciorum & Auctor
omnium malorum est. Atque hæc sunt opera Diaboli, quibus in
hunc usque diem grassatur inter homines, & magis olim grassatus
est inter incredulas gentes, easque in cultu idolatrico circumdu-
xit. Ubi callidus spiritus, omnem veritatis speciem, qua cultum
idolatricum oblinivit, ex ipso vero DEI cultu quæfivit simia
DEI. DEUS olim in populo suo ordinaverat sacrificia, tanquam
præludia & typos sacrificii propitiatorii Redemptoris Christi, &
media salutis proposuerat. Hæc æmulatus Satan est inter Ethnicos,
& sacrificia non tantum ex animantibus, sed ex ipsis hominibus sæ-
pe hostias offerri mandavit. Horrendus inter alios sacrificiorum
Ethnicorum ritus est ille, quo Molocho sacrificatum fuit. Figuram
hujus idoli passim describunt Antiquarii & in picturis exhibent;
Fuit imago ænea habens faciem vituli, manus expansas instar ho-
minis manus aperientis, ut ab alio aliquid accipiat, intrinsecus ex-
cavata. Septem ipsi extructa fuerunt facella, ante quæ imago
ista fuerat collocata. Avem sive pullum columbinum offerens,
primum facellum ingrediebatur; ovem aut agnûm, secundum;
arietem tertium; vitulum quartum; juvenum quintum; bovem
sextum; qui denique filium proprium offerret septimum occu-
pabat facellum. V. *Buxtorfius* in Lex. Hebr. Cui addimus *Nicolai*
Livæ descriptionem, quæ est: Molocho erat Idolum cupreum ad
formam hominis factum, interius concavum, & in illa concavitate
siebat ignis, quousque idolum esset quasi ignitum, & tunc poneba-
tur puer inter manus idoli, & sacerdos tympana percutiens tantum
sonitum faciebat, ut vox pueri morientis audiri non posset, ne pa-
rentes compaterentur, sed magis crederent, animam acceptam a

Diiis

Diis in quiete & sine dolore esse. V. *Leusden.* in Philol. Hebræo-Mixto diff. 42., *Picturæ* habentur apud *Lund.* in Jüd. Heil. p. 58 4. & in Bibliis nostræ editionis Germ. ad Lev. 18. Pari crudelitate Satanam Indiæ olim præfuisse tradunt Historici, & ex iis *Cornelius à Lapide* in Levit. p. 705, ut multoties imperaverit sub religionis specie optimum atque charissimum immolare. Quo factum fuisset, ut sæpe Sponsæ amabiles, filii bonæ indolis ac spei jussu Diaboli trucidati & sacrificati essent. Tanta enim copia homines mactarentur, ut vix numerum eorum inire potuerint. Nam incolæ urbis Mechoacan, quæ a regione nomen habet, quotannis ferme 20000. pulchrorum adolescentum, puellarum atque infantum idolo suo sacrificarunt. Plura legantur apud *Stuckium* de Sacrific., *Saubertum* &c. Porro DEUS variis modis locutus est Patzarchis & Prophetis in visoribus, & somniis, & per Urim & Thummim dedit Responfa. Diabolus inde sua quoque confinxit Oracula, quæ ex descriptione *D. Mabii* in tr. pec. fuerunt responfa, quæ vel Diabolus ipse ex cæcozela oraculorum Divinorum singulari fraude & astutia ad decipiendos & seducendos homines variis in locis, modo voce, modo somniis, gestu nutuve aliquo statuarum aut aliarum rerum characteribus protulit, vel per homines Diabolico spiritu afflatos, qui Spiritus tunc eum de propolita quaestione erat respondendum, vehementi impetu exsecubus elisus, in vates irruerat impletosque in furorem agebat, ut præ tremore palpitacioneque artuum omnium nec consistere nec se continere possent. In qua descriptione *D. Mabius* aliique pasim omnia Diabolo & impuris Spiritibus attribuunt, Veterum quorundam Scriptorum præcipue auctoritate stipati. E contrario *Antonius van Dalen* & *Bernhard von Fontenelle* pleraque omnia tantum fraudes & prælligias fuisse sacerdotum Ethnicorum, sustinent. Sed non defuerunt qui contra *Dalium* & *Fontenellum* calamum strinxerunt, & pro priori sententia acriter pugnarunt, etiam in nostris vicinis Academiis V. M. J. C. *Landgræ.* exerc. pec. M. *Job. Fr. Witzleben* disp. &c. In primis autem P. *Battus* Jesuita Argentoratensis prolixum tractatum contra *Dalii* & *Fontenellii* sententiam scripsit, quem alii rursus examinarunt, quos media incedere via plerumque juvit, quod videmus in *J. Clerici* Biblioth. A. 1707., & hi Diabolo suas partes in cultu idolorum Ethnicorum & in datis Oraculis relinquunt, & Vaticicos Sacerdotes suis propriis sæpe fraudibus confinxisse talia oracula & illuisse ac decepisse homines statuunt. V. Cl. *Job. Christoph. Gottschedii* Append. ad tr. Fontenellii de Oraculis Germanice versum p. 210. Et hoc omnino sentiendum est. Nam Diabolum in his rebus prorfus feriatum esse probabile non est, licet non omnia ubique egerit, quæ ipsi imputantur: siquidem homines multi jam satis mali ipsi sunt, ut Diaboli suggestionibus & impulsu non indigeant, sed propria malitia male agunt & alios affligunt. Quod etiam hodie experimur. Ucut pro Autore omnium malorum ex peccato ortorum Diabolus habendus sit, & habeatur, & suo modo opera hominum malorum opera Diaboli sint. Quod si vero Diaboli malorumque hominum opera non solum ante adventum Filii Dei, sed adhuc etiam post ejus adventum omnium oculis pateant, & parum sentiri videatur memorata Johanni dissolutio operum Diaboli per Filium DEI: non immerito quaeritur, quomodo illa suum locum tueatur. Ubi dicendum est, ipsam destructionem Satanæ & operum ejus vere factam esse per Filium DEI, ita ut nihil deficiam potestatis Satanæ in genus humanum reliquum sit. Sed sicut ad omnem beneficii præstationem, ut cum ICris loquar, in hominibus requiritur acceptatio, ut plenum effectum fortiatum beneficium in executione, applicatione, usu & fructu: ita idem in hoc negotio attendendum est. A parte Filii DEI, cum in hunc mundum venit, actione & passione & morte satisfactio & solutio plene planeque & perfecte facta est ad liberationem generis humani a potestate Satanæ destructionemque operum Diaboli. Ejusque meritum omni tempore valuit & ante adventum & post

ad-

JK Th 616

x 3133835

adventum Christi, oblatumque hominibus omnibus fuit, in revelationibus Divinis, in Verbo DEI scripto & per prædicationem Evangelij, & aditus ad veram DEI Ecclesiam, in qua media beneficiorum Christi applicatoria & arma spiritualia adversus adscitam Satanæ potentiam divinitus ordinata traduntur, semper patuit gentibus, ejusque sonus vox & fama audita est in universo Mundo. Ad quam se vertere & Media admittere debuerunt gentes, ut in effectu beneficio Christi potirentur. Illis vero omnibus neglectis & repudiatis, sit & olim factum est, ut in plerisque hominibus parum vel proflus non sentiat destruccio operum Diaboli, intuitu acceptationis & applicationis. Quod enim accidit, si quis pro captivo solvit & liberationem ex captivitate præstat, captivus autem liberationem non acceptat & egredi & potestate licitorum renuit, ut effectu solutionis & beneficio hoc seipsum sua culpa privet: id evenit sub potestate Diaboli hominibus illis qui solutionem & factam destructionem operum Diaboli non admittunt, negligunt & spernunt, nec ordini Divino in æconomia salutis morem gerunt, ut caratione & ipsi in peccato maneat servi & captivi Satanæ, & æternum pereant. Nihil autem hoc derogat plenarie solutioni & perfectæ destructioni operum Diaboli, intuitu Filii DEI, & intuitu æconomia salutis. Omnis culpa hominum ipsorum est, in quibus opera Diaboli destructa non sentiuntur. Sentiant autem hoc Filii DEI beneficium omnes pii & fideles. Nam in his nulla amplius condemnatio est, & Satan nihil quicquam potestatis in ipsos habet, & si quid tentat adversus pios & fideles Christi servos permissione Divina, illud in bonum ipsis cedit, & in majus detrimentum Satanæ. Quotquot ergo in Christum credunt ipso actu & effectu in militia Christiana adversus Satanam sentiunt se liberatos e potestate Satanæ, & destructa in se opera Diaboli. Et hoc beneficio omnimodæ liberationis consummata hujus vitæ militia potiuntur beati in cælis, eoque æternum fruuntur. Atque ita in executione destructionis operum Diaboli modus Divinus probe attendendus est. Nam sicut Filius DEI ad hoc manifestatus dicitur, ut dissolvat opera Diaboli, & ipsa manifestatio inde ab incarnatione facta continuatur Verbo, quod ipse Christus in diebus carnis prædicavit & per Apostolos eorumque Successores continuo prædicari jus sit ad sui uberiorem manifestationem: ita & executio destructionis operum Diaboli in hominibus continuatur in Ecclesia Verbo & Sacramentis, & extra Ecclesiam excitatio fit fama, voce & sono Evangelij. Hinc post adventum Filii DEI, plantata & propagata Ecclesia Christi, sensim & Sacra idololatrica & Oracula Ethnica aliaque opera Diaboli, valde imminuta fuerunt & successu temporis cessarunt, Ethnicis ad fidem Christianam conversis. Et sic hodiernum destruccio operum Diaboli per omnes hominum ætates, ordines & cœtus executioni datur ministerio Verbi & Sacramentorum, per quæ DEUS operatur. Et Christianis omnibus atque singulis incumbit, ut pro aliis æque ac pro seipsis curam gerant, ut parta per Filium DEI destruccio operum Diaboli eo modo mediisque à DEO ordinatis magis magisque in executionem veniat, donec consummata hujus vitæ militia perfecte ab omni malo liberati cælum ingrediamur & in cœlesti sanctitate vivamus. Pluribus id ager Juvenis Nobilissimus ac Præstantissimus *Dn. JOH. ERNESTUS HOLICK*, Küstrensis, humaniorum literarum & sacrarum cultor indefessus, de communicata nati Filii DEI cum hominibus, tanquam fratribus, sanctitate peroraturus, quem ut Honoratissimi DNN. Auditores benigne audiant officiosissime rogamus. P. P. Dom. III. Adv.

M DCC XL.

LEUCOPETRÆ,

Literis G. A. Legii, Aul. & Auguft. Typogr.

no



*De cultu idolatrico inter gentiles a diabolo
ad speciem veri Dei cultus instituto*

II h
616

FESTUM NATIVITATIS CHRISTI



BRANDUM

DICIT

ET

NEM SACRAM

IMA CIRCA HOR, XII,

ILL, AUGUSTEI

AUDIENDAM

ULÆ SERENISSIMÆ

REIPUBL, PROCERES ET CI-

PLISSIMÆ LITERATOS

LL, AUGUSTEI

IBUS

HUMANISSIME QUE

VITAT

REINECCIUS, SS, TH, B,

NEELS, ILL, AUGUSTEI RE-

ET P. P.



PE
MI

M